

techismus Lutheri & major & minor, qui licet in gratiam Parochorum & auditorum, imprimis simplicium, à B. Viro sint concinnati, tamen postquam una Ecclesia particularis post alteram junxit eosdem symbolis suis, par illis cum his autoritas concessa est. Et hi quinque Libri ab omnibus, qui Ecclesiæ Lutheranae nomen obtinent, recepti sunt; ita ut de universali eorum autoritate symbolica nemini dubitare liceat. Formula autem Concordiæ, quæ per VI. ad id designatos Theologos, nempe Jacobum Andreae, David Chytræum, Martinum Chemnizium, Andream Musculum, Christophorum Cornerum, Nicolaum Selneccerum, Torgaviæ Anno 1576. conscripta, Anno 1577. in Cœnobio Bergensi pio consilio & studio revisa, & tandem Dresdæ 1580. publicata fuit, non ab omnibus Ecclesiis nostris recipitur, & hinc pro particulari symbolo, pro primario tamen inter reliqua, habetur. Est autem hic liber scriptus, ut ortas post reformationem B. Lutheri controversias resolveret, simulque declararet & fundaret veræ religionis concordiam ad posterum propagandam. Horum Librorum omnium uberiores historias vid. *ap. Dn. Pras. l. c. It. Pl. Rev. D. Rechenberg. App. Trip. part. 1. De reliquis autem symbolis particularioribus vide præc. §. 7. cum modo citatis Viris de nostra Ecclesia optime meritis.*

SECTIONIS I.

CAPVT II.

DE

JVRAMENTO.

§ I.

In hac Sectione attendemus iterum prioris partitionem,
& pro-